

citu inerat, ipsum interveniente quadam pecuniæ quantitate Gallis tradiderunt, a quibus in Galliam perducitur, ubi paullo post, idest anno MDV. in civitate Burgenfi moritur. Eodem anno bini pontis Tanari arcus in flumen ceciderunt.

MDIX. Hoc potissimum tempore floruit Cæsar Guasus Senator Regius.

MDX. Die decimo sexto mensis maii frater, qui appellantur Jesuati s. Hieronimi, quorum institutor fuit Beatus Johannes Columbinus Senensis, vir maximæ sanctitatis, Alexandriam advocantur, ne civitas careret his probis viris, & Deo acceptis, eisque promittitur, & inde donatur Ecclesia sancti Hieronymi, quam usque ad suppressionem eorum ordinis inhabitaverunt una cum ædificiis, & aliis ad eam pertinentibus. Hæc Ecclesia jamdiu erat juris-patronatus civitatis Alexandriæ, hoc addito quod fratres mortuorum corpora custodirent, & humarent, quandoquidem memorata Ecclesia ad hoc pium opus erat destinata. Eodem anno antiquissima Ecclesia s. Mariæ de Castello, ad id nitente civitate, aliisque piorum elemosinis in hanc, quæ nunc visitur, magnificentiam exornatur.

MDXII. Ludovicus XII. Gallorum Rex unacum ejus exercitu ab Helvetiis, & Venetis maximo nixu, & opera Julii II. Summi Pontificis ex Italia fugatur, & expellitur. Qui Galli in eorum recessu multa damna Alexandrino territorio intulerunt. Nam per oppidum Quadringenti transeuntes die 20. mensis junii, multas domos misere arserunt, ac deprædantur, necnon homines numero quindecim interficiunt, Maximilianusque Sfortia a Maximiliano Imperatore Ducalem investituram consequitur, & universæ ditioni Mediolanensi dominatur, & potitur.

MDXIII. Die 24. decembris Maximilianus Sfortia Ludovici filius Mediolanum magno cum omnium applausu, & pompa, ac civitatis expectatione, ac maxima comitante armigerorum caterva una cum Illustrissimo Cardinali Sedunensi ingreditur, qui totum dominium fere subegit, & Galli cum Johanne Jacobo Trivultio Novariam se receperunt, in qua nonnulli Helvetii fugantur, tormentaque bellica ipsis capiuntur. Eodem anno die 2. martii reconfirmatur imbotatura vini oppidi Candiæ Johanni Francisco, & Philippo de Ferruffinis filiis legitimatis Antonii de Ferruffinis militis Hierosolymitani a Maximiliano Sfortia Mediolani Duce.

MDXIV. Die vigesimo octavo mensis martii Maximilianus Sfortia Antonio Ghilino arcem Caravagii optima ejus fide fretus committit; sed a Venetis hostibus diu obsessa, tandemque expugnata, cum eam tueri contra tantas vires strenuus vir non posset, inde præficitur arci Tricii.

MDXV. Nicolaus Fulgosius Genuensis Tribunus militum pro Francisco primo Gallorum Rege multas excursiones in agrum Alexandrinum fecit, multaque damna intulit; cum interim Alexandria pro Maximiliano Sfortia stare, illiusque partibus faveret. Eodem anno de mense septembris Franciscus Galliarum Rex Mediolanum movet itinere, quod perducit Novariam, qui conquassatis Helvetiis prope

Marignani castrum, primum Mediolanum obsidet, & inde capit, quo Dux Maximilianus se receperat, quem captivum in Galliam conduxit, perhibito honesto stipendio triginta sex millia ducatorum Venetorum. Ibi tædio captivitatis, & desperatione recuperandi imperii patrii, miserabiliter obiit anno 1530.

MDXVIII. Guaschi, & Trotti, qui per summam injuriam illi Gavium, isti Vadam duo oppida maxima a Genuensibus erepta sibi dicebant, sententiam secundum se obtinuerunt adversus rempublicam Genuensem a Francisco Gallorum Rege, per quam condemnantur Genuenses ad illorum oppidorum restitutionem; qua de re Genuenses, ut Regem a sententia dimoverent, legatum miserunt, sed re infecta patriam repetere jubetur. Rex in sua sententia perstitit.

MDXIX. Die duodecimo mensis januarii Maximilianus II. Imperator filius Federici III. moritur, cum imperio potitus fuisset annis triginta tribus, in cujus locum successus fuit ab Electoribus Carolus V. filius Philippi Hispaniarum Regis.

MDXXI. Alexandria per Sfortianos capitur, Galli expelluntur; nam Mediolanensis Imperii arces fere omnes, & pleraque munita loca ab hostium præsidio tenerentur Mediolanum, Novaria, Domodossola, Arona, Tricii que arces, & Bobii, Verbanus lacus ultra Padum posita, Alexandria Gallis etiam parebat, quod ægre ferebat Moronus. Quare dies, noctesque in hoc totus erat, quo modo exercitus hyberno tempore moveri posset, statuebat enim Alexandriam recuperare; sed exercitus hoc recusabat stipendii defectu. Res (1) vero ita cessit, ut omnia ad optata pervenerint; milites namque (2) persuasi Alexandriam capiunt, dum qui civitatem custodiebant ad tumultuariam pugnam progressi essent; itaque Sfortiani una cum hoste ingressi urbe præter spem potiuntur. At Galli cum hanc maximam jacturam aliquandiu . . . . . (3); sed cum viderent non solum Genuensium commercia sibi tolli, & viam sibi ad mare intercludi, verum etiam intelligerent Alexandrino præsidio facile totam Cispadanam jurisdictionem in fide Sfortianorum contineri, ne majorem cladem sibi adderent per aliam partem, quæ s. Alexii vocatur, fuga salutem sibi quæsierunt. Eodem anno Hector Vicecomes jussu Prosperi Columnæ ad Alexandriam tandem cum mille, & quingentis peditibus nullo stipendio, sed solo Sfortiani nominis amore transmittitur, quibus civitas ipsa victum laute subministrabat. Eodem anno cum plures calamitates Alexandria passa esset ob Sfortianos milites mille, qui inibi in hybernis erant, memoratus Prosper Columna jussit, ut Cremonam proficiscerentur, ut ab aliis tribus civitatibus Cremona, Ticino, & Alexandria impetus hostium propelleretur, Duce Gasparo Maino civitatis Præfecto. Eodem anno Galli obsident Mediolanum, quo per hyberna tempora, maxima frigora, & multas pluvias, dominus ab Scuto venit suppetias laturus, qui cum Vercellas se recepisset, a nonnullis Italis, & Hispanis fractus fuit. Tandem Franciscus Gallorum Rex ab Italia expellitur, & fugatur a confœderatis, scilicet